



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

clxviii [i.e. xiii]. Accidentium non convenientium simul naturaliter vel
supernaturaliter rei constitutæ in uno loco, combinatio simili lege
repugnat in re replicatâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

ignis, in altero applicaretur nix, nix quidem non ageret in ignem vel contra, utpote quæ igni præsens non est, quia tamen agerent in idem subjectum, ita attemperabitur & debilitabitur utriusq; activitas, ac si simul eidem in uno loco applicarentur. Poterit tamen in uno sedere, in altero ambulare (non tamen sibi procedere obviam, utpote quod dicit distinctionem) hi enim effectus & motus contrarii, quia à loco absoluti non sunt, competere possunt rei uni existenti in pluribus locis.

XIII. Acquirit quoq; corpus replicatum, quia vi plurium ubicationum pluribus locis, adeoq; pluribus passis vel agentibus approximat, quandam quasi potentiam tam activam, quàm passivam extrinsecam majorem respectu effectuum localium, quàm habeat existens in uno loco; sic Petrus poterit plura videre, ignis replicatus plura calefacere, quæ eadem videret Petrus, calefaceret ignis, si existens in uno loco haberet sibi eadem eodem modo præsentia. Non acquirat tamen potetiam majorem intrinsecam quò ad effectus à loco absolutos; cum potetia rei activa & passiva tota præsupponatur ad

ubicationem. Hinc si quis uno loco totis viribus disputaret, alibi ad alia gerenda negotia esset ineptus. Hinc materia prima (si id in uno loco non potest) in pluribus existens locis, non potest capax sustentare plures formas substantiales &c.

XIV. Jam verò accidente replicato rei replicatæ pereunte in uno loco, perit quoque idem in alio loco, cum enim definitio sit negatio existentiae, ut hæc dicatur esse absolutè, existentia debet nullibi esse. Hinc si abscinderetur Petro hinc Coloniae brachium, sive corrumpere unio inter ejus brachium & reliquum corpus, periret ea quoque Romæ. Aliud tamen est, accidens corrumpi in uno loco; aliud, unam ejus ubicationem destrui. An autem, si ubicationis inter corpus & animam destrueretur in uno loco, homo dici deberet in isto loco mortuus; quæstio est de nomine, meliùs non esset dicendus mortuus, cum negatio hujus unionis absolutè non sit in rerum natura.

XV. Ne quidem divinitus potest res existere absq; omni ubicatione, sive extra omne spatium reale & imaginarium; implicat enim
crea-